



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ignatii Loiolae Vita

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Honoribus in Societate[m] nostra[m] Ignatius aditu[m] obstruit. Ca. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11486

perditiones euellere, inanibus & curiosis quæstionibus respondere identidem cogitur; ut panè plus ei negotii pauca femina, quàm Societas vniuersa faceretur. Itaque licet Elisabethæ, pro eius in se promeritis, gratificari admodum cuperet; tamen reputans apud se, quantum ex huiusmodi tricis detrimenti republica pateretur, simul etiam cogitans fore, ut harum exemplo aliæ deinceps religiosæ mulieres virginæve idem à Societate in posterum expererent; nequaquam ignarus quàm periculosa & suspicionibus plena sit ea consuetudo, priuati officii ratione prohibere communi utilitati, ac totum hoc genus administrationis à Societate prohibere omni ratione constituit. Igitur adhibita (quod in omnibus grauioribus causis faciebat) præparatione diligenti, imploratoque per iteratas preces & hostias cælesti præsidio, ad Pontificem accessit, verbisque supplicibus demonstrauit, ex onere sibi nuper imposito, quàm exiguo cum fructu quantum laboris ac molestiæ pertulisset; ea ipsa re monitum, quàm aliena sit à Societatis instituto eiusmodi præfectura, petere se & orare, ut non ab illis modò, sed ab omnibus in perpetuum seminarum collegiis gubernandis immunem Societatem esse iubeat; nõ defuturos aliorum ordinum idoneos homines, qui id munus libenter & cum fide obeant: sibi quidem & suis prouinciam videri minimè accommodatam. neque verò æquum esse, qui sese ad omnium gentium auxilium, sine vlla regionum aut locorum exceptione, CHRISTI Vicario mancipauerint, eorum operam & industriam, non sine graui communis rei damno, paucis regendis mulierculis implicari. Quibus rationibus, ita permotus est Pontifex, ut supplicanti omnia largè ac prolixè concesserit. Itaque Societati ab eiusmodi munere vacatio in perpetuum data, eiusque vacationis auctoritas testata est trinis deinde litteris apostolicis, quæ tempore procedente magno vsui fuere nostris hominibus ad eius generis pericula & molestias abigendas.

HONORIBVS IN SOCIETATEM NOSTRAM

IGNATIVS ADITVM OBSTRVIT.

CAPVT XVIII.

ATQUE iis difficultatibus perfuncta Societas, prospera Dei beneficio cursum tenere videbarur, cum noua rursus in eam coorta tempestas est, eo quidem grauior & periculiosior, quo in speciem lenior blandiorque. In iis, qui per Germaniam

maniam variis locis Domini vineam excolebant, Claudius Iaius, è primis Patribus vnus, virtutem & sanctitatem suam cum genti vniuersæ tum Romanorum Regi Fernando ita probauerat, vt eo Rex nullum prorsus ad curandas animas atque ad pastorale munus aptiorem existimaret. Is pro sua sapientia cum præclare intelligeret, regni causam cum causa religionis ita esse cõiunctã, vt quantum de catholica religione detraheretur, tantum de obsequio multitudinis & de imperii maiestate deederet; cõtra sæuientem eo maximè tempore Lutherianam pestem, velut vnicũ remedium, quam optimos animatum pastores & Episcopos omni diligentia conquirebat. Igitur vita functo per eos dies Tergestinarum Episcopo, quæ ciuitas est Istriæ, (cui tum prouinciæ, quã dixi lues, propter vicinitatem Germaniæ, imminebat) circumspicentis diligenter omnibus & personis & rebus, denique ecclesiam illã Claudio Iaiõ perspectæ sibi virtutis & doctrinæ viro tradere ac demandare constituit. Sanè, vt vulgò expetuntur huiusmodi sacerdotia, minimè timendum videbatur esse, ne delatum vltro præsertim honorẽ Claudius repudiaret: siquidem Tergestina cathedra cū in primis eius regionis ampla & honorifica est, tũ verò (quod potissimum hodie quæri solet) vectigalibus haud sanè cõtemnendis instructa. Verumtamen Rex, ne quid incscio Claudio cum Pontifice maximo ea de re transigeret; primũ omnium litteras ad ipsum Claudium dat, Tridenti per id tẽpus rei Christianæ causã commorantem, ac nihil cogitantem minùs; quarum erat sententia, Tergestinum gregẽ orbis spirituale custode, circumquaque fremẽtibus lupis, in maximo versari discrimine; dignam esse vigiliam caritate Iaii, studioq; hominum seruandorũ; petere se, vt si à Põtificè maximo id ei muneris onerisve imponatur, ne recuset subire; & populo vtilẽ & sibi gratã operã vehementer fore. Percussus inopinata re Iaius, primò cohorrui: non quod detestandũ quid sibi oblatũ putaret, sed quòd Episcopus, qua curã gerit animarũ, diuinam penè virtutẽ & omnibus numeris absolutã postulet sapiẽtiã: qua gradus honoris est, (& quidẽ ad cõtinendam in officio multitudinẽ ferme cū splendore opibusq; cõiunctus) a spiritu humilitatis ac paupertatis, quem profiteretur Societas Iesu, vehementer abhorreat. deinde, vt sese ex pauore collegit, fusus in preces lacrymasq; etiã atque etiã obtestatus est Deũ, vt ab se rãtũ discrimẽ auerteret; neu se primũ quasi ianitore speciosos titulos honorẽve in Societatẽ ad id tẽpus intactam inuehi sineret; tũ rescripsit ad Regẽ, multis rationibus ei suadens, vt eam honorifico iudicio decoraret alium digniorem; longè impa-

rem suam imbecillitatem esse oneri: ac demum ita conclusit epistolam, ut omissis ambagibus, quod petebatur, præcisè negaret. Quæ res iam satis incensum studium Regis multo vehementius inflammavit, quod ita statueret, tantam in summa virtute & eruditione modestiam nequaquam privata vitæ quasi tenebris delitescere, sed in editissimo fastigio, ut luceret omnibus, collocari oportere. Ergo cum ex litteris Claudii diffideret, vllis aut precibus aut promissis flecti eius animû posse; per Pontificè ipsum, inconsulto ultra Claudio, rem conficere statuit. Ad eum igitur quam accuratissime scripsit, quanto in periculo Tergestina ciuitas verlaretur Episcopo destituta: se quidem pro sua parte diligenter circumspexisse, quem nominaret aptum ei muneri, nec vllum inuenisse aptiorem Claudio Iaio, Societatis IESV presbytero, cuius innocentiam doctrinamque exquisitam plurimis rebus esset expertus; sed frustra per litteras tentasse eius animum, in studio Christianæ humilitatis ita defixum, & ab honorum insignibus admittendis vsque aded alienû, ut nisi pro potestate cogar, nulla sit spes laboratis illius ecclesiæ tã opportuno præsidio subleuandæ; proinde suppliciter se etiã atq; etiã orare & obsecrare, ut Claudiu pro imperio iubeat, delata sibi gubernacula munusq; sine tergiuersatione recipere, quoniam ut quisque de se ipse minimè alta sentiat, ac proinde studiosè lateat, ita ecclesiasticis functionibus & ipso episcopatu dignissimus sit. Hæc igitur, & alia id genus multa, ad Põrificè, & simul Didaco Lasso mandat oratori suo, ut id ipsum & cum Põtificè, & cum quibus opus fuerit, quam diligentissime curet, prorsusque cõficiat. Eius rei fama cum per aulicos quosdã ad Ignatium peruenisset, primò haud ita sanè commotus est: nam & Claudii constantiæ & Pontificis æquitati ac sapientiæ confidebat, & eiusmodi petiriones iam antè Societas, Deo adiutore, nõ semel illuserat. Verumtamen ut quid esset rei clariù cerneret, cõtinuò Bernardinum Maffeiũ (qui tum erat Pontifici ab epistolis, ac postea in Cardinalium numerũ cooperatus est) vltro cõuenit, ac tota de re familiariter pro amicitia sciscitatur. Ille haud sanè grauate ipsam epistolam Regis ostendit, ad Pontificè summis cum Claudii laudibus & vehementi cõrentione perscriptam; qua lecta confestim Ignarius eadem de causa ad Regis oratorem Didacum Lassum adit; qui litteras item ad se propriè datas demonstrat, & quidem magna ex parte ipsius Regis chirographo, etiam atque etiam postulantis mandantique, det operam, ut Episcopatus ab se in Claudium collati primo quoque tempore auctor fiat Pontifex maximus, eiusque auctori-

auctoritatis diploma ritè cōfectum ad se transmittat. His cognitis Ignatius, vbi tam iniquo loco rem vidit esse, pertimuit; sed, i-
 za, vti nequaquam animo caderet: ac licet se talibus aduersariis
 longe imparē sciret esse, tamen fiducia numinis omni ope sibi
 contranitendum existimauit; atque in praesentia Didaco suade-
 re conatur, vt ab actione rationi Societatis tam aliena, desistat i-
 pse, & simul ab ea mente Regem aliquo pacto deducat; quibus
 verbis cum nihil proficeret, quin potius ab homine rideretur,
 domum regressus quam intentissimas preces & sacrificia de mo-
 re suis indixit: deinde nactus opportunitatē, faciliēque aditum,
 Pōifici demōstrauit, quanto res ea damno esset futura & Socie-
 tati nostrā priuatim, & Ecclesiā vniuersā communiter; nō quo
 dignitatis gradus ac tituli ipsi per se mali atque improbandi sint,
 quippe ad Ecclesiā regēdam & ordinum discrimina retinēda in-
 ducti diuinitus: sed quod & perfectos viros requirant, quales pau-
 ci admodum omnibus saeculis existerint, & insuper ab huius mi-
 nimā Societatis instituto valde alieni esse videātur. Etenim qui-
 bus artibus quōve spiritu excitata & conflata sit, eodē profectō
 alendam & conseruandā esse: non amplitudinis & splendoris ni-
 mirum, sed humilitatis & parcimonīa. Quod si aditus in Socie-
 tatē honoribus pateat, multū vtiq; de vera caritate imminutū
 iri, quā nihil omnino habet in vita propositum, nisi vnius gloriā
 Dei: nam (vt sunt hominum ingenia) & cōplures fortasse ad hanc
 religionē accessuros opum cupiditate magis, quam diuini obse-
 qui studio: & qui nuper adscripti sint, magnitudine laboris &
 disciplinā asperitate defatigatos, vt primum praesentis pramii
 cōmodum affulserit, mutato repente cursu, nouā spei vehficaru-
 ros: atque vt maximē in officio cuncti persistant, tamen nisi pra-
 senti iactura eatur obuiam, sine dubio Societati exitialem (quod
 Deus auerteret) exitū imminere. Id adeo vel inde facile perspici
 posse, quod paucis illis annis, quattuor viris ex ea familia, praeci-
 pui totidem Episcopatus delati sint, quos nisi fortiter ab sese
 Patrum virtus & constantia reieccisset, videlicet alio deinceps, at-
 que alio dilabente, breui miseram Societatē ipsis luminibus ca-
 rituram fuisse. Atque haec, quod priuatim ad conseruationem i-
 pius religionis atineat. Iam, si cōmunē spectemus vtilitatē, ne-
 mini dubium esse, quātum ex ea re detrimenti res publicā perce-
 ptura sit; nihil enim omnibus aetatibus aequē deplorandū fuisse,
 atque in tāta messis copia tantā operarum inopiam: atque ex ea
 ipsa paucitate, qui vnicuiquam agro addicti affixique sint, longē
 minus vtiq; perficere, quā qui Apostolico ritu soluti ac liberi om-
 nes

nes ecclesias perueniant, ad eamque potissimum reipublicæ Christianæ partem subleuandam accurrant, quam maxime labore cognouerint. Præterea, ad faciendam populis fidem, & animos permouendos, nihil esse efficacius vitæ ac morum exemplo, itaque adhuc Societatem (absit verbo inuidia) Ecclesia non mediocriter profuisse, propterea quod minimè ab eius dictis facta dissenserint, nunc autem, si ad id fastigium extollantur Patres, quomodo fieri posse, ut apud multitudinem, in seiam arcanorum, ambitionis ac leuitatis erimen effugiant? qua portò fronte, quo vultu, repetè aucti ac decorati ipsi honorum insignibus, de imitatione Christi, de fugienda gloria, de voluntario sui contemptu ac submissione verba facturi sint? Hisce aliisque causis Pontificem maximum etiam atque etiam obtestari atque obsecrare, ut quam Societatem primus auctoritate & benignitate sua confirmauerit, ornauerit, auxerit, eandem ab omni suspitione incòmoda velut esse liberam, suaque in eam beneficia tam periculoso præferri tempore tueatur. Audiit Ignatium Pontifex perbenigne, ut solebat, sic tamen, ut integritatem hominis admiraretur potius, quam consiliū approbaret. Itaque collaudata merito ipsius fide ac probitate, sensim flexit oratione, & contra sententiam Ignatii cum alia multa disseruit, tum verò ex veteri oraculo: Cor, inquit, regis in manu Dñi: quasi diceret, in Claudio eligendo tantam Fernandi Regis contentionem planè diuinitus existisse; ac proinde clarorem esse numinis voluntatem, quam ut obisti ultra oportere. Quæ cum Ignatius grauer ac dolèter accipere videretur, Pontifex, quæ erat lenitate, ne Dei famulum triste ac miserentem abieceret, ad extremum iuber illū super ea re amplius consultare, precesque ad Dñm fundere; se quoque idem esse facturum. Interea Didacus orator negotium vrgebat acerrimè; iaque incitabat dies, quo die in Senatu de Tergestina ecclesia referendū erat; quæ religatius cognita, confestim Cardinalium partem omnium domos, quarum erant multæ longis intervallis inter se disunctæ, ingenti diurno & nocturno labore circumiit, singulis eadem illa terè proponens, quæ paulo antè Pontifici maximo. Sed videlicet eorum mentes iam antè occupauerat orator. Itaque mirè obfirmatos offendit in Claudii electione approbanda; partim quod tanti Regis voluntati fauerent; partim etiam quod vigiles & custodes Claudii maxime similes, tam formidoloso tempore, in Ecclesia propugnaculis atque speculis ipsimet collocandos putarent. Hac quoque spe deiectus Ignatius, vnum reliquum videbat esse remedium, si Fernandum ipsum Regem a suscepto

consilio per litteras auocaret, quem pro ipsius pietate virtutēq; ita in se suosque animatum nouerat, vt minimē dubitaret, quin cognita re, salutem Societatis, Tergestinorum rationibus antelaturus esset. Sed ne illa quidam ratio habebat exitum: quippe insequenti luce de Tergestina cathedra Senatus erat futurus. Ignatius igitur exelusis angustiis temporis, numquam intermissis ad Deum precibus, quasi ad extremum in rebus humanis perfugium sese contulit ad Margaritam Austriacam Caesaris filiam, de qua supra dictum est, feminam per id maximē tempus gratia & opibus florentissimam. Hanc pro spiritali necessitudine, (erat enim illi a confessionibus) edoctam quanto in periculo Societas esset, infimis precibus obsecrat, vt Societatis causam in se recipiat, & imminuentem relationem auctoritate sua interposita tandem differat, quoad Regē ipse per epistolam alloquatur, & ab eo responsum accipiat. Fecit illa quod rogabatur, & illico datis ad Pontificem edicillis, optatam dilationem impetrauit. ea demum res aliquid laxamenti dedit Ignatio: etenim spatium nactus, ad Regē scripsit litteras, deprecationis & querimoniarum plenas; illum etiam atq; etiam per Christum obsecras, ne Societate nuper ad gloriā Dei tanto labore conflatam sine causa perditum iret; nō ita de ipsius maiestate regniq; & se & socios esse meritos, vt ab eo nulla eorum existimationis, fame, salutis denique ratio habenda esset. non de fore idoneos viros, qui rem Tergestinam capessant, sicut modō sui ordinis homines, qua cepissent paupertatis & humilitatis via, ad Christi gloriā & salutem animorum sine offensione pergere. id si (vt sperabat) permitteret, sese & socios immortalib; beneficio Regi obstrictos fore, precēsq; pro ipsius maiestate saluteq; nūquā intermissuros. Hisce aliisq; id genus incēsis officii religione rationibus precibusque minimē restitit Rex: & quāquam inuitus, tamen suis rationibus amicorū utilitati posthabitis, quod vix fieri videbatur posse, per epistolam iussit oratorem suum ab instituta vel potius pænē cōfecta actione desistere. Quę res vulgata, & Pontificem maximum facile in Ignatii sententiam adduxit, & Ignatium ipsum ac socios affecit ingenti lætitiā. Itaque & in posterum supplicationes decreta, & in presentia solemnibus hymnis in gratiarū actionē publicē persolutus est. Ac pari deinde constantia sese Ignatius idem opposuit, cū nostris hominibus pinguis sacerdotia, quibusdam verō Cardinalatus etiā deferretur, ac nominatim Francisco Borgia Hispano dynastæ, qui amplissimis in eo regno perfunctus honoribus, diuino instinctu post vxoris obitum rebus mortalibus valere iussis, & sponte depo-

deposito Gandiensi Ducatu, magna hominum admiratione Societati se addixerat. Quamquam in Æthiopia legatione, quæ postmodum Lusitanæ Regis rogatu à summo Pontifice nostris injuncta est, cum ad eam functionem Ecclesiastica dignitatis insignia & honorum tituli necessariò quaererentur, imperanti pro potestate Vicario Dei resisti non potuit, præsertim cum perit rerum aestimatores argute conjicerent, novam hæc manum non ad opes & copias, verùm ad labores & aperta vita pericula destinari.

CONFIRMATUR A IULIO III.

SOCIETAS.

CAPVT XIX.

POST hæc, Paulus III. Pontifex maximus, senio cursuque confectus, è vita migravit, comitiæque nouo creando Pontifici, in magna studiorum ac voluntatù varietate in aliquot menses extracta sunt. Quo ipso tempore cum Vrbs, vt in diuturno interregno, annonæ difficultate vehementissimè laboraret, nostrisque numero in dies auctus, extrema fames adesse videretur; Ignatius cum aliorum, tum præcipuè sacri Collegii Cardinalium eximiam in se suosque benignitatem expertus est, quippe in summis occupationibus Patres augustos pia nostrorum hominum recordatio subiit: cõmunique consilio, ad eorum inopiam subleuandam non leuis pecuniæ summa, ex ipso Concilio transmissa est: enixè in primis fauente atque adiuuante Rodolpho Pio Carpeni, quem Ignatius iam antè sibi sociisque patrum ac protectorem, vt appellant, è summi Pontificis auctoritate delegerat. Ac rebus diu multumque agitatis, Pontifex denique declaratur Iulius, eo nomine tertius, qui quòd in Synodo Tridentina Legatus Fabrum, Lainem, & Salmeronè Theologos Apostolicos familiariter nouerat, multaque tum ex istis tum ex aliis de Societatis instituto didicerat; Ignatio supplicari multa in Societatis incrementum ac rem admodum liberaliter tribuit; nec enim solùm prioris Pontificis de ordine nostro iudicia & acta firma rataque voluit esse; verùm etiam eundem ordinem nouis insuper ipse testimoniis atque decretis ornauit. Cuius rei publica diplomata exstant verbis amplissimis.

MAGI